Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1079

Quelle:
Copyright:

fuit, *Cluniacenſis* dictus, quod tunc cum Suis *Cluniacenſium* ritus ſequeretur. C. 1. incipit: *Uenerabili patri Guillelmo Frater Bernardus fratrum qui in clara valle ſunt inutilis ſeruus ſalutem in domino. Usque modo ſi qua me ſcriptitare iuſſiſtis* &c. Extat edit. *cit.* T. II. *col.* 527. ubi tamen *praefatiuncula* legitur, quae a *Cod.* noſtro abeſt, qui *Capp.* minoribus XLV. conſtat, cum in edit. non niſi XIII. prolixa cenſeantur. Finis eſt: *Quod ut nobis a uobis ſemper fiat omnino precor et ſupplico. Valete.* Simultates et aemulationes pravas non raro ex diverſis ejusdem Ordinis religioſi reformationibus pullulaſſe teſtis eſt cum reliqua Hiſtoria monaſtica et praeſens *Apologia*, in qua an ſagax *Bernardus* capram et caules, ut fert proverbium, ſervaverit, Lector partium ſtudio liber diſpiciat.

V. *fol.* 107. absque titulo F. *Rainerii Sacconi* Itali *Placentini*, Sectae *Waldenſium* et *Catharorum* primum Antiſtitis, dein O. P. et Quaeſitoris fidei, circa an. 1258. *Mediolano* a *Turrianis* in exilium acti, ut pluribus habes in *Scriptt.* O. P. T. I. p. 154. *Opuſculum contra Waldenſes* X. *Capp.* conſtans, quod primus e *Cod.* mſs. protulit doctiſſimus *Jac. Gretſerus Ingolſtadii* 1614. 4. unde in *Bibliothecas PP.* tranſiit, et T. XXV. *Lugdunenſis* p. 262. legitur. Prologi initium eſt: *Audiſtis quia antichriſtus venit* &c. et paullo poſt: *Ego frater Reinherus olim hereſiarcha, nunc dei gracia ſacerdos in ordine predicatorum licet indignus hoc opuſculum de hereticis compilaui* &c. Retractatum ab illo vel alio fuiſſe hunc laborem, et in aliam formam transfuſum *Codices* teſtes ſunt, qui in ſupracit. *Scriptt. O. P.* adferuntur, interpolatum vero ab homine germano, et quidem *Auſtriaco*, nomina locorum, in quibus Sectarii coetus ſuos habebant, ad calcem C. 3. evincunt, quorum aliqua in *Bibl. Lugdun.* perperam impreſſa hic emendare lubet adhibito T. II. *Scriptt. Rer. Auſtr. Hier. Pezii* p. 536. quo loco paene idem recenſus occurrit. Strouizing en lege *Stretzing*. Leuuhs l. *Leubs*. Danſteten l. *Amſtetten*. Spunelburch l. *Sündelburg*. Sirnich l. *Sierning*. Wezſenskirchen l. *Weizenkirchen*. Ehemmenaten l. *Kematen*. Briezkirchen l. *Grieskirchen*. Ackergeuu l. *Attergäu* vel *Abergäu* &c. Eidem Interpolatori tribuenda videtur *Raynerii* Appendix, quae in *Bibl. Lugd.* perpetua decurrit; in *Cod.* vero noſtro his Rubricis diſtinguitur: *De yppocriſis* (Hypocritis) *qui dicuntur ſterczer. Examinacio leoniſte heretici. Diſcordancia et diſcrepancia* (Eccl. Orient. et Occid.) *Que ſit fides kathari.* Nam in hac quoque teutonica leguntur vocabula, ut ipſum nomen *Sterzer*, quod vulgi lingua *otioſum Vagatorem* notat, ut bene obſervat Cl. *Adelungius* in *Lexico*, cui tamen non innotuit, fuiſſe olim Sectarios, qui peculiari hoc nomine deſignarentur. Item

Schylt-